

ad mammarum muliebrium duritiem et ad paniculas et ad tubera et cetera, quae subito adnascuntur, recipit haec: resinae terebinthinae pondo dua, cerae pondo semissem, propolis, quam quidam ceram sacram vocant, pondo sescunciam, galbani pondo sextantem, olei veteris pondo selibram. haec omnia oleo ad ignem liquefacere oportet et postea miscere visci de 5
 quercu pondo quadrantem, ammoniaci guttae pondo quadrantem, hebisci radicis aridae pondo quadrantem, cyperi radicis, quod nos gladiolum appellamus, pondo sextantem, faeculae pondo trientem, aphronitri pondo quadrantem, Asii lapidis flos pondo quadrantem, opopanacis pondo sextantem. haec omnia ordine, quo scripta sunt, cribrata in caccabum con- 10
 iciuntur, opopanax oleo diluitur. ubi temperatum est medicamentum, manibus subigitur; linitur, cum opus est, aluta.

Ad sanguinis eruptionem

LXXXIII. Ad sanguinis eruptionem, sive ex arteria sive a pulmone vel pectore ea fuerit, bene facit symphyti radix, quam quidam inulam 15
 rusticam vocant, quidam autem alum Gallicum dicunt, lota aqua frigida et rasa cultello eburneo vel osseo pondere sextantis aut plus, id est, quantum poterit manducare et devorare: neque enim amara est. oportet autem eodem die acetum non gustare, quod interdum per se magnifice solet prodesse, sed huius radicis effectum resolvit. item bene facit poly- 20
 goni sucus cyathorum duum aut trium per triduum repetitus et plantaginis et solani eodem modo sucus. prodest et cretae Samiae X p. I sump-
 tum ex aquae frigidae rigore detracto cyathis tribus. prodest et herbae, quam polion vocant, nos ut opinor tiniariam, fasciculus, quantum manu